



R. P. D.

R E S T A

Romana Successionis.

S U P E R

Aperitione Oris.

Lunæ 12. Junii 1786.



Uamvis Transactionem, quam anno 1763. Ca-
jetanus Caffarellius cum Fratre Primogenito
censuit ineundam, ut compositis, quæ obor-
tæ fuerant lites, & controversiæ, annum
adsignamentum, quod persolvi hactenus con-
sueverat in *summa scut.* 170., ad scuta 470. augeretur,
Clemens XIII. speciali Chirographo, supremaque au-
toritate confirmavisset, eam tamen in *Judicio præventi-*

vo Cajetanus subvertere sagedit, ne sibi, suisque Filiis masculis jus succedendi ad Fideicomissa Majorum, quæ nimirum a Prospero Sen., a Joann. Andrea, & Joann. Petro condita fuerant, auferretur, ubi forte Dux Alexander diem obiisset extreum nullis relictis filiis masculis. Atque hinc supplicem libellum Pontifici Optimo Maximo exhibuit, postulavitque, ut sibi de Fideicommissis Familiae Caffarelliæ verba facere fas esset = Non ostante l'accennata Transazzione, o sia Concordia approvata con Pontificio Rescritto di Clemente XIII. = Ad S. Tribunal ex decreto R.P.D. Auditoris SSmi delata est rei cogitatio cum clausula de aperitione oris arbitrio. & eidem Auditori Rotæ = , cumque dubium proposuisset = An intret arbitrium pro aperitione Oris in casu dicitur. = difficile haud fuit, quoniam responsum prodiret = Affirmativè iuxta modum in Decisione exprimendum = , veluti constat ex Decisione, quæ prodidit coram Me die 2. Maii 1785. Neque secus etiam visum est die 3. Februarii currentis anni Duce Alexandro vadimonium desrente: Facta deinde est obloquandi potestas, cumque magnis animis ab Alexandri Defensoribus dicta esset Causa, mutata repente est alea judicij. Nam scisitanti Mihil = An sit standum, vel recedendum à Decisis in casu dicitur. = responsum datum est = RECEDEDENDUM A DECISIS =

2 Et recta quidem fuit ratio, quare Patres a Me rogati in diversam abiarent sententiam: Cum enim quareetur, utrum oris aperitio esset impertienda, in eamque rem arbitrium interponendum, jure meritoque consueverunt, nullam adesse causam Pontifici Rescripti infringendi. Nam sicuti arbitrium pro oris aperitione ad tramites juris debet interponi ex Gloss. in Leg. quidem videtur ff. de recept. arbitr.; Sic eatenus concedi solet, quatenus constat, Pontificem optimum maximum aut veri reticentia, aut falsi expositione fuisse deceptum; Comportaque sit aportet Chirographi Pontifici obreptio, sive subreptio, ut in discriben, aut examen possit revocari Card. de Luc. de pens. disc. 50. num. 17. Rot. in rec. dec. 485. nro 8. 2. part. 4. coram Lancet. dec. 651. num. 3. in Senogallien. aperitionis oris 13. Januarii 1764. § 2. coram Rno Origo Decano, & in Fanelli Dotium super aperitione oris 11. Januarii 1779. § 8. cor. Reverendissimo Sent. manat.

3 Nullo revera obreptionis, subreptionisque vitio Pontificium Rescriptum inquinari, quod Transactionem inter Fratres Caffarellios initam anno 1763. confirmavit, neverunt etiam, & fasce sunt, quæ coram Me præiverunt Sacri hujus Tribunalis responsa: Non alia igitur fuit causa, quare aperi-

tio oris concederetur, nisi quia Pontificii Rescripti interpretationem, non item illius abrogationem respiciebat, & rursus, quia ad removendas ambages, & ad cauthelam potius, quam *ex necessitate* postulabatur: Verum insolens, atque novum hoc mane visum est, ut nulla intercedente obreptionis, subreptionisque mascula ad *cauthelam* aperitio oris impartiatur, ne scilicet Pontificis venia, & confirmatio obstaculo sit Cajetano, ejusque Filii masculis ad Successionem ad Fideicomissa Majorum postulandam, ubi forte Dux Alexander absque ulla prole masculina decedat è vivis. Cum enim Principis authoritas *jure* fuerit interposita, æquum sane est, ut ea viribus consistat, neque ulla possit ratione subverti. Alias nihil firmum, nihil tutum esset in posterum, & oris aperitio, quæ concedi plerumque sollet, ut justitiae viam sternat, injustis potius, & inutilibus questionibus occasionem præberet. Quod reprobat *March. de commiss. part. 2. §. 1. n. m. 65. Rot. in rec. decis. 461. n. 5. part. 1., & dec. 485. n. 2., & seq. part. 18.*, & cor. *Crescentio dec. 116. num. 5., & 6.*

- 4 At enim renunciatio iurium, quam Cajetanus Caffarellius in Transactione emisit, Ducem Alexandrum, & eos tantum Descendentes intuetur, qui ad Fideicomissa Gentis Caffarelliæ vocationem præferunt; Cum proinde Transaction ad eum casum minime pertineat, quod nempe Dux Alexander nullis relictis Masculis decedat, eo facilius aperitio oris impertienda erat, ut Cajetanus, ejusque Filii masculi possent in *Judicio præventivo* Jura successionis proponeere hoc casu adveniente: En sane præcipua, cui Cajetani Defensores innitebantur, exceptio, quamque probarunt ambæ, quæ coram Me prodierunt, Decisiones: Sed remelius hoc mane perspecta nullius omnino ponderis exceptio visa est: In primis enim facili dilemmate tota absolvitur poterat controversia: Siquidem actioni, quam Cajetanus, ejusque Filii masculi proponendam censem, aut transactio obicem parat, aut nihil obest: Si primum, iniquum erat, ut nullo adducto obreptionis, subreptionisque vitio Pontificium Rescriptum, & inita Transaction rescindatur. Firma namque sit oportet Concordia, cui sese Contrahentes subscripserunt, quoisque in *suo congruo judicio*, aut ex causa nullitatis, aut ex causa læsionis non fuerit revocata. Si secundum, eo minus oris aperitio adversus Pontificium Rescriptum erat concedenda, quod non modo justitia, & veritate nititur, sed etiam juribus Actoris nullum attulit detrimentum.
- 5 Quæ cum ita essent, Causa ex his confecta videbatur: Atque hinc inutile erat curiosius inquirere, utrum Transaction de-

augendo annuo adsignamento tantummodo ageret, seu potius jus succedendi ad Fideicomissa adempserit Cajetano, ejusque Filiis, & Descendentibus, nedum existentibus Filiis masculis Ducis Alexandri, sed etiam nullis ab ipso suscep-
tis, Filiabusque fæminis dumtaxat relictis: Verum cum hanc quoque quæstionem ad examen revocavissent PP. à Me rogati, optime noverunt, Cajetanum Caffarelliū intuitu anni adsignamenti scut. 450. sibi, suisque Filiis, & De-
scendentibus præstandi, Bona omnia fideicommissaria renunciavisse nedum Alexandro, ejusque Filiis masculis, sed etiam omnibus Descendentibus sive masculis, sive fæmi-
nis, ita ut donec aliquis ex iis extat, nihil ex causa Fidei-
commissorum Cajetanus, ejusque Descendentes repetere sibi possint. Perspicua nimirum visa est littera Transactionis. Nam in ea Dux Alexander promisit, spoponditque =
Pertutto quello, e quanto potesse pretendere detto Eccellen-
tissimo Sig. D. Gaetano Caffarelli, e li di lui Figli, e Figli
de Figli legittimi, e naturali, e Discendenti in infinitum sopra
tutti, e singoli Fideicomissi, tanto ascendentali, quanto tra-
versali, li beni de quali al presente si trovino in Casa Caffa-
relli = se soluturum quot annuis = a detto Sig. D. Gaetano
Caffarelli suo Fratello, e di lui Figli, e Figli de Figli legi-
ttimi, e naturali, e Discendenti in infinitum = summam scut.
quatuorcentum quinquaginta,

6 Neque secus etiam se Cajetanus expressit. Sicuti enim cautum in Transactione fuit, ut inita conventio esset = Invariabile tanto per detto Eccellentissimo Signor D. Gaetano, e suoi Figli, e Figli de Figli Legittimi, e naturali, e Discendenti in infinitum = ; Sic etiam expressum adjectum est pactum, ut vicissim = Detto Signor D. Gaetano, e suoi &c. non possino pretendere somma maggiore, tanto per Causa de Fideicomissi ascendentali, e trasversali ordinati sopra quei Beni, che attualmente si possiedono dall'Eccellentissima Casa Caffarelli, che per causa &c. = præter annua scuta 450.: Quid ergo clarius, quam quod omnium Descendentium nomine pro-
miserit Dux Alexander annuam præstationem scutor. 450., omniumque favore renunciaverit Cajetanus nedum pro se, verum etiam pro Filiis, & Descendentibus, quidquid sibi, suisque Posteris competere fortasse poterat ex Bonis Fidei-
commissarijs, quæ tunc in Domo Caffarellia reperieban-
tur? Nam si renunciatio à Cajetano emissā omnes intuetur,
omnesque respicit Alexandri Descendentes, nulla afferri
ratio potest, quare ad eos tantum coerceri debeat, qui suam ad Fideicomissa vocetionem præsegerunt, nempe ad lineam Alexandri Masculinam, vel ad Masculos dumta-
xat. Nonne Filiorum, & Descendentium (quis igno-
rat ?)

rat?) omnes veniunt, omnesque continentur sive Mares,
sive Fæminæ: Textus est disertus in Leg. si ita scriptum ff.
de Legat. 2., & Leg. Filii appellatione ff. de verb. sign. . Cum
itaque absolute, generatim, nulloque discrimine facto re-
nunciatio erga Omnes scripta fuerit, generatim quoque,
& indistincte accipi debet, & interpretari Leg. si Pater Cod.
de dot. promis. Rot. cor. Molin. decis. 777. num. 40., &
in Romana Legitime 14. Junii 1754. §. 28. coram Ca-
prara.

7 Quod *ex litera* clarum est, clarius etiam fit *ex voluntate* Transigentium. Nam eodem tempore, eisdemque verbis, quibus Cajetanus Bona fideicommissaria a se abdicavit, intestatis quoque Successionibus cessit, quæ deferri fortasse poterant ex obitu aliorum Fratrum: Jam vero ambigi nequit, quominus Fratrum Hæreditates absolute renuncia- verit nedum Alexandro, ejusque Descendentibus Masculis, aut Lineæ Ipsijs Masculinæ, verum etiam omnibus De- scendentibus. Pari igitur ratione, *eodemque* jure dicen- dum est, renunciationem Bonorum fideicommissariorum erga omnes Descendentes Alexandri fuisse emissam. Sicuti enim in eadem oratione, & periodo, & in *eadem* Per- sonas utrumque Bonorum genus translatum fuit, sic utra- que renunciatio nequit diverso jure censeri. Quænam in- super fuit causa finalis renunciandi? Non alia sane, nisi quia deficientibus = *i soliti inventarii* = fieri nullo modo po- terat, ut vires hæreditariæ cuiuscumque Fideicommissi de- cernerentur; Atque hinc expedire visum est, ut Dux Alexander, ejusque Descendentes ab omni molestia libe- rarentur, itaque Transigentes effugerent = *Un cumulo di Liti, che vi potevano effere di spesa eccessiva* = Nonne vero hujusmodi causa locum habet, *tum* vigente linea Alexandri Masculina, *tum* etiam deficiente? Nam si nullis ab Ale- xandro relictis Masculis, Transactione in auras abiret, non ambigitur, quin graves, diuturnæque lites orirentur, & implexæ illæ statuum firmationes essent ineundæ, quas tantopere Dux Alexander abhorruit, & à quibus suos De- scendentes eximere cogitavit annua præstatione scut. 450. perpetuo persolvenda. *Eo minus* igitur aduersus Pontificis Chirographum aperitio oris concedenda erat, & arbitrium interponendum, *quo certius est*, causam transigendi finalem etiam obeunte Alexandro fine Filiis Masculis subsi- stere, & interposito arbitrio omnino destrui, atque pro- sterni ex Rot. in rec. dec. 80. num. 5. part. 19.

8 Quid vero ad hæc Cajetani Defensores? Quid præteritæ meæ Decisiones? Ad partem proemialem confogiebant, cumque ibi dixerint Transigentes in priori Transactione an-

nuum adsignamentum in sc. 170. fuisse Cajetano constitutum = Per le ragioni ad esso competenti per l'usufrutto sopra li Beni Fideicommissarii della Eccellenissima Casa =; Sic eamdem ob causam ad annua sc. 450. adsignamentum auctum deinde fuisse contendebant, ita ut de statuenda rata frumentorum Fideicommissorum actum tantummodo fuerit in posteriori Transactione; non item de iure succedendi in integro Fideicommissorum Aesse, quatenus exarisset linea Alexandri Masculina. Perperam tamen. In primis enim, quae prius inter Fratres inita est Transaction ad posterioris interpretationem traduci nullo modo potest. Nam in posteriori Transactione cautum præcipue fuit, quod necepsa Le sudette Parti hanno riceduto, e ricedano hinc inde dalla sudetta Apoca, quale vogliono cassa, nulla, irrita rescissa, e come fatta non fosse.

9 Deinde vero non ne posterior concordia anni 1763. longe amplior est anterior, tum quoad Personas, tum etiam quoad bona? Siquidem prima ad Cajetanum Caffarellum tantummodo pertinebat, qui renunciationem emiserat = Suæ vita naturale durante =, prætereaque coercita fuerat ad simplicem usumfructum Bonorum Fideicommissariorum: Vicissim autem secunda Transaction omnes complectitur Descendentes, & expresse comprehendit nedum = Tutto quello, e quanto potesse pretendere detto Signor D Gaetano, e di Lui Figli, e Discendenti sopra tutti, e singoli Fideicommissi =; Sed etiam alias Successiones Cajetano ab intestato deferendas. Quamquam vero inutile etiam erat longius disputare, utrum ususfructus Bonorum Fideicommissariorum, sive proprietas venerit in posteriori Transactione; Nam etiamsi ad simplicem usumfructum secunda Transaction coercita fuisset, quia tamen generatim omnes intuetur Alexandri Descendentes, sic quamdiu aliquis eorum extat, vetitum est Cajetano, ejusque Posteritati, ne eundem usumfructum sibi vindicet: Nihil enim prohibet, quominus Hæredes Fideicommissarii usumfructum, quem ipsi essent habiti, transferre in alios possint, utcumque non vocatos, ita ut donec ipsi vivunt, commodum Fideicommissi Renunciati debitum habeant Renunciatarum ex Persona, & iuribus ipsius Renunciantis ex Rota cor. Olivatio decis. 320. num. 1. 25., & 26., & dec. 350. num. 1. tom. 3.

10 Deterior vero post hæc erat exceptio altera, quod nempe pactum Transactionis fuerit adjectum, ut si forte Pars aliqua bonorum, quæ ad Fideicommissa avita pertinebant, a tertulis Possessoribus vindicaretur, jus in ea succedendi Cajetano, ejusque Filiis sarcum, tectumque esset, hac solum conditione adjecta, ut ipsi pro rata contribuere sumptibus tene-

tenerentur. Tantum enim abest , ex hoc pacto argumentum est ut possit , quod iura successoris abdicata minime fuerint quoad bona fideicommissaria , quae tempore initiae Transactionis aderant in Familia Caffarellia , ut imo potius retorquatur . Siquidem reservatio ea solum respicit Bona , quae a Tertiis possessoribus recuperata fuissent : Quod vero ad alia art. tunc bona Fideicommissorum , quae a Duce Alessandro retinebantur , ea quidem expresse Cajetanus abdicavit intuitu anni adsignamenti : Siquidem confusioneis Bonorum , quae distracta fuerant , ab Cajetano reservavit , ubi sorte vindicarentur , allorum quoque consucctionem sibi reservavisset obeunite Duce Alessandro sive Filiis Mascalis , si id maxime voluisse : Nam si nonnulla bona a Renunciatione excepit , profecto ea , quae non excepit , comprehendere visus est ad Text. in Leg. unica §. si autem Cod. de caduc. tollen. Rot. cor. Ludovis. dec. 544. num. 9. , & cor. Lancet. dec. 685. num. 4.

¶ 11 Quae quidem argumentatio à discretivo loquendi modo de-
prompta eo magis urget , si verba perpendantur , quibus ipsa reservatio concepta est ; Ita nimis Cajetanus sibi ,
suisque Filiis addicendam curavit Bonorum partem , quae a
tertiis possessoribus vindicata fuissent . Et ad hunc solum
modo casum reservationem cohibere intellexerit . Inquit
enim = In caso si acquistassero Beni di qualsivoglia sorte , e
questi si vindicassero dalle mani di terza Persona in vigore de
Fideicomissi &c. IN QUESTO SOLO CASO sia , e s'intenda riservato à favore di detto Signor D. Gaetano , e suol
la consucctione = Quid ergo ex Transactionis litera certius ,
quamquod reservatio consucctionis , & ea solum bona
respiciat , quae in Tertiis distracta fuerant , & hunc tan-
tummodo casum intueantur , quo fuissent hujusmodi bona re-
cuperata ? Quod enim in uno solum casu volitum , cau-
tumque fuit cæteros necessario excludit Leg. final. ff. ad
Trebell. Soccin. Sen. cons. 83. vers. respondetur Mans.
consult. 525. num. 14. Roc. disput. jur. cop. 119. nu-
mero 40. Rot. coram Ludovis. decis. 433. num. 7. coram
Molin. decis. 472. num. 7. & coram Falc. dec. 21. num. 14.
tit. de jurepatron.

¶ 12 His ita constitutis nemo non intelligit , renunciationem à
Cajetano emissam omnem comprehendere Alexandri poste-
ritatem : Num vero Transaction aut inæqualitatis , aut læ-
fionis redargui potest ? Neque id quidem . Quamvis enim
extraneum sit ab hoc judicio de hac re sermonem institue-
re , atramen Cajetanus ipse firmam esse contendit initam
Transactionem , firmum annuum adsignamentum sibi consti-
tutum , atque ita etiam definiverunt priæteritæ meæ Decisi-
nes ,

nes ; quæ ad examen veniunt . Cur hæc ? quia nimis rur
nullo aut læsionis , aut iniquitatis vltio laborant pacta Tran-
factionis . Reque vera si Descendentes Alexandri licet non
vocati usufructu Bonorum Fideicommissariorum potiuntur ,
adhuc Cajetano , ejusque Descendantibus annuam perso-
lunt summam scut . 450 . : Cum itaque nullum probetur vi-
tium , nullaque adsit causa , quare Transactio rescindi de-
beat , manifestum est , neque aperitioni oris locum esse ,
neque Pontificum Rescriptum esse infringendum , quod
eamdem Transactionem confirmavit .

Et ita in strenuo Partium certamine ex OO. DD. suffragiis
prodit definitio .

R O M A E M D C C L X X X V I .
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ .

Superiorum Facultate .

7866